

**Arthoniae novae Americae borealis.**

Continuatio. --- Exponit W. Nylander.

6. *Arthonia Hamamelidis* Nyl. Similis *A. astroideae*, sporis minoribus (3-septatis), longit. 0,011—12 millim., crassit. 0,004 millim. differens et ab *A. astroidella* subsimili iodo gelatina hymeniali coerulescente, dein fulvo-rubescente, protoplasmate thecarum similiter tincto. — Super corticem *Hamamelidis virginicae* ad New Bedford (H. Willey).

7. *Arthonia fissurinea* Nyl. Thallus macula alba vel albicante, laevigata, indicatus; apothecia pallida innata sublanceolata concaviuscula (latit. circiter 0,2 millim.), margine thallode parum distincto; sporae 8nae incolores oviformi-oblongae, aequilater 7—9-septatae, longit. 0,028—32 millim., crassit. 0,009—0,011 millim. Iodo gelatina hymenialis coerulee tincta, dein fulvo-rubescens (sporae etiam sic tinctae). — Corticola in Florida. — Species affinis *A. fissurinellae*, sed magis albicans et apotheciis pallidis (nec incoloribus) etc.

8. *Arthonia pyrrhuliza* Nyl. Thallus albidus opacus, tenuiter obscure limitatus; apothecia rubricosa obscuriora, gracilescentia, varia, varie divisa; sporae 8nae fuscae 3-septatae, longit. 0,012—15 millim., crassit. 0,0045 millim. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein fulvescenti-rubescens. — Super Ilicis corticem prope New Bedford (H. Willey). — Sporis obscuratis mox differt a comparandis, quales sunt *A. pyrrhula* et *A. Cascarillae* Fée, quarum definitiones hic addere liceat:

*A. pyrrhula* Nyl. Enumér. Lich. suppl. p. 337 (nomen). Thallus macula albicante lata, satis determinata indicatus; apothecia coccinea linearia, subsimplicia aut parum ramulosa, angulatim saepe flexuosa, innata, plana, opaca; sporae 6—8nae incolores, 5—6-septatae, oblongae, sat magnae, longit. 0,030—36 millim., crassit. 0,015 millim., utroque apice fere aequales loculoque apicali utroque parvo subaequali. Iodo gelatina hymenialis vinose rubens (passim praecedente coerulescentia). — Super cortices in Carolina (hb. Tuck.). — Differt ab *A. cinnabarinæ* apotheciis gracilentis, sporis aliis.

*A. Cascarillæ* (Coniocarpon Fée Ess. p. 98, t. 15, f. 4). Thallus albidus parum conspicuus, indeterminatus; apothecia obscure violacea vel fusca vel obsolete violacee tincta, innata, minuta sat crebra, rotundata vel nonnihil difformia; sporae 8nae incolores oblongo-oviformes 3-septatae, longit. 0,014—16 millim.,

crassit. 0,005 millim. Iodo gelatina hymenialis intensive coerulescens, dein fulvescens. — Super corticem *Crotonis Cascarillae*. — Vix differens ab *A. adspersa* (Mnt.) nisi apotheciis minoribus simplicioribus.

9. *Arthonia diffusa* Nyl. Enumér. Lich. suppl. p. 337 (nomen). Thallus albus vel albidus, tenuis, effusus, opacus, saepe tenuissimus; apothecia nigra sparsa rotundata vel nonnihil difformia (latit. 0,3—0,7 millim.), innata plana vel convexiuscula, intus alblicantia; sporae 8nae incolores oblongo-oviformes 3-septatae, longit. 0,009—0,013 millim., crassit. 0,0035—0,0045 millim. Iodo gelatina hymenialis coeruleces. — Corticola. — Facie fere *A. cinereopruinosa* Schaer., sed sporis minoribus. Spermatia oblonga.

10. *Arthonia impallens* Nyl. Subsimilis *A. stenographellae* Nyl. Nov. Granat. 2, p. 99, sed apotheciis omnino pallidis. Sporae ovoideo-oblongae 2—3-septatae, longit. 0,011—12 millim., crassit. 0,0035—45 millim. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose fulvo-rubescens. — In New Jersey supra Ilicem (Eckfeldt).

11. *Arthonia terrigena* Will. Thallus vix ullus visibilis; apothecia nigra minutella lecideoliformia (latit. fere 0,2 millim.); sporae 8nae incolores vel dilute fuscescentes oviformi-oblongae 1-septatae, longit. 0,011—12 millim., crassit. 0,0035 millim. Iodo gelatina hymenialis non tincta, protoplasma thecarum vinose rubens. — Supra terram humosam nudam locis umbrosis prope New Bedford (H. Willey). — Species inconspicua infima, cum nulla alia comparanda.

12. *Arthonia subminutissima* Nyl. Thallus nullus visibilis; apothecia nigra minutissima rotundata vel oblonga (latit. vix 0,1 millim.); sporae 8nae incolores oblongo-oviformes 1-septatae, longit. 0,007—9 millim., crassit. 0,003 millim. Iodo gelatina hymenialis vinose fulvescens. — Pinicola prope New Bedford. — Comparanda cum *A. minutissima* (Ach.) Nyl. Scand. p. 263, quae sporas habet majores.

#### Observationes.

1. *Arthonia patellulata* f. *subpallidiuscula* apotheciis humidis obscure pallescentibus. Super corticem *Hamamelidis* prope New Bedford.

2. *Opegrapha quaternella* Nyl. Parasitica in *Pertusaria velata*. Apothecia nigra maculatim aggregata irregularia (latit. 0,2—0,3 millim.), oblongo-difformia, margine indistincto; sporae 4nae incolores oblongae 3-septatae, longit. 0,015—18 millim., crassit. 0,006—7 millim., hypothecium (cum perithecio et epithecio) fuscum. Iodo gelatina hymenialis vinose rubens, praecedente coerulecentia levi. Corticola prope New Bedford. — Species maxime facie accedens ad *Lecideam Lamyi* Rich. in Flora 1875, p. 446, quae differt paraphysisibus distinctis, sporis 8nis nonnihil majoribus. Sporae vetustae fuscae.

3. Tres saltem Arthoniae Americae borealis nonnisi in Europa maxime occidentali, in Hibernia occurunt. Tales sunt: *A. taediosa* Nyl. (*A. lirellans* Almqv.), *A. paralia* Nyl. et *A. Hibernica* Nyl.

4. Sicut in *Lecanorideis* ob thalli typum gonidiorum differentem distinguenda est subtribus *Coenogoniei*, sic etiam in *Pyrenocarpeis* distinguenda est subtribus gonicimica *Corei* vel etiam alia subtribus *Dichonemei*, si hanc separare necesse erit a Coreis, quod vix crederem. Jam olim (1862) exposui in Corae genere, quod e Fungis, ubi cum Dichonemate a Mycologis dispositum fuit, removi, apothecia typum sistere verrucarinum peculiarem, thalli autem diversitas talis conspicitur ut certe ei dignationem subtribus admittere fas sit distinctae ab *Eupyrenocarpeis*, inter quos *Normandinae* analogiam faciei offerunt. Ante ob analogiam gonicimicam et formae thallinae cum *Coccocarpiis* quibusdam Coras inter *Pannarieos* disposueram. Qui vero ibi analogum aliquid cum Fungorum *Thelephoris* indicant levissime rem consideraverunt et hypothallus pallidus frustulosus vel diffractus thallum Corae firmans nihil commune habet cum hymenio Thelephorae. Animadvertisatur simul omnes verisimiliter Coras auctorum (sicut in Classif. des Lichens p. 176 indicavi, 1855) ad unicum pertinere speciem *Coram pavoniam*. Sed *C. ligulata* Kphb. est Dichonema. *D. sericeum* (Sw. sub *Thelephora*) amplexitur *D. irpicinum* Mnt., *D. aeruginosum* Nees. et forsitan *D. diducens* Nyl. peruviense.

5. Corrigenda. In Flora 1885, p. 300, lin. 23, pro „stoma“ lege: stroma; p. 313, pro „(cum conceptaculo apotheciorum fulvo-rubens“ lege: (cum conceptaculo apotheciorum) iodo fulvo-rubens.

Parisiis, die 30 Junii, 1885.

# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1885

Band/Volume: [68](#)

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: [Arthoniae novae Americae borealis 447-449](#)